

# IOACHIMI VADIANI HELVE TII RVDIMENTARIA IN GÆOGRAPHIAM CATECHESIS.

QVID GÆOGRAPHIA, COSMOGRAPHIA, TOPOGRAPHIA,  
TOPOTHESIA, CHOROGRAPHIA.



VNT VOCABVLA, QVAE TERRÆ ORBISQVE SITVM  
scrutantibus frequenter incidunt, non nihil diuersa, plerunq; tamen confusa scriptoribus, gæographum eundem & cosmographum alter utrum profitentem, appellantibus. Gæographia tamen, si Etymon uocabuli sequimur, proprie ea est quæ terræ situm, ut extra intraq; ad Oceanum nostrumq; mare se habet, cum locorum passim iacentium enumeratione describit. Qua in re quia uetustissimis authoribus multa metiendæ terræ, interq; maria & regiones, quod ad spatium attinebat discernendi, Plinio teste, sollicitudo fuit, factum est, ut tota illa quæ tractat de lineis, quæq; ex lineis constât, figuris cognoscendi ratio, Gæometriæ nomen obtinuerit; cum tamen in cœlo non minus hæc quâ in terra locum habeat, ab illa Gæographi dicuntur, quibus terræ describendæ per singulas, ut expansa est, aut celebres magis regiones cura fuit, tales Plinius, Dionysius, Strabo fere, & Melanisi q; et hic quâquâ paucissimis, a primi libri principio de toto mētione facit; uerum nec aliter quam Gæographum decebat, nec multis, narratione tanquam intra professionis & instituti argumenti limites cōhibita. Cosmographia uero quanquam utriusq; cœli inquam & terræ rationem habet, magis tamen id curat ut quibus terræ extantis partibus, quod cœli secundum longitudinem latitudinemq; spatium adsit, ostendat. Cumq; Gæographus præter locorum enumerationem, & historiam addat, et plerunq; quæ ciuitatum, quæ gentium, nationum, populorum origo fuerit, atq; unde data rebus nomina, tum & illustria non nunquam naturæ siue miranda opera indicans, in terræ situ multo esse uberior soleat; Cosmographus non alio fine regiones, oppida, amnes, maria, montesq; enumerat, quam ut uel terminos statuatur regionum; quæq; exordia, & qui fines sint enumeret, uel sub qua cœlestis superfici ei parte illa uniuersa sint demonstrat; hoc prope uice curans, ut sub quo cœlo sita loca, quæ longitudo, quæ latitudo, præterea quæ Gnomonis umbrarumq; pro locorū latitudine differentium (unde breuitatis, longitudinisq; dierū ratio manat) diuersitas sit intelligatur; Ad hæc, quæ locis sydera (ut sic dicam) uerticalia, quæ in arcton, quæ in meridiē inclinēt, nonnūquā aliunde deprompta adiiicit, ortusq; & occasus eorundē, qui locis diuersam latitudinem & longitudinē habentibus uniformes esse nequeunt, consyderat. Interualla & climata obseruat, idq; persæpe cū ingenii, loci & naturæ aëris dispositionis explicatione. Vnde & illa Strabonis lib. i. uerba sunt: Quicūq; locorū proprietates edisserere nitūtur, proprie rē attingunt, cū cœlestiū terrestriūq; mensurarū figuras & magnitudines, interualla & climata, calores & frigora, & simpliciter aëris naturā manifestant. hæc fere Strab. Addo quod instrumentorū ad illiusmodi dimensiones attinentiū, & picturarū similiter terræ cū debita meridianorū parallelorūq; descriptione, tota ratio ad Cosmographiam attinet; quam primus prope omnium, post multiplicem ueterū diligentiam, absoluisse existimatur Cl. Ptolemæus, Aegyptius natione, qui Antonini tēporibus floruit, Mathematices uniuersæ citra controuersiam princeps. Constat autē Gæographiæ cū Poëtica, cumq; historia conuenire, uel ea causa quod non dissimili in reddendis locis describēdi modo utitur; unde magna Straboni, Plinio, cæterisq; si diligētius paulo perpēderimus, ex Poëtis & Historicis in locorū terræ descriptione, auxilia fuerūt, ut Plinius lib. i. Strabo ubiq; (nā eius opus Homeri doctrina illustre factū est) indicat. Cosmographus ad Gæometricā Astronomicāq; inclinās, aliorū, præter ea quæ retulimus, prope securus est. Sed cōeūt tamē, sūtq; adeo inter se cōnexæ Gæographia, & Cosmographia, ut alterā sine altera, ut cūq; traditā mancā esse facile cōstare possit periculū faciētibus. Et mihi quidē dubitātū quādoq; utra præstātor foret, uisum est acutiore esse Cosmographiā, talē tamē que intra arctiores traditiōis limites clauderetur; Gæographiā, multa uariorū authorū lectione nitentē, leuoris operæ, & captus facilis, mirifice tamē ubere fructu, & cuius neminē unquā pœnituerit. Illud etiā discriminē est, quod Cosmographia cū certis quibusdā axiomatibus utatur, certa sibiq; cōstās manet. Gæographia cū seculorū decursu, tū uero multifaria illustriū scriptorū traditione (ut oīa mortaliū opera tēpus mutat) nec semp cōsona sibi, nec certa est. Hæc tamē (ut dicā quod sentio) uiro prudētī, aliā sapiētī cōmodiore esse cōfirmo. Non uero sum nescius uel a Ptolemæo lib. i. Cosmographiæ rationē, Gæographiæ uocabulo intelligi, cū inquit: Gæographiā imitationē esse picturæ, meminisse tamē debemus isthæc, ut paulo ante dicebā, confundi. Nos autē hoc loco exactiore paulo horū nominū rationē sequi. Nā & Topographia historiæ est magis; quæ admodum & Topothesia poëtarū; per illā historia locū quēpiā, ut est, effigiat; hæc ficta adeo depingit, ut ita esse credas. Desyderat enim rerū gestarū ratio, ut quo fidelius referant historici, nonnunquā ad locorū descriptionem deflectere necesse sit: Quæ admodum qui fabulosam narrationem instituant: cum



parū a rerum gestarum argumēto illa differat, similia quaedam in locis effigiādis efficere solent. Sic Cythæ situs in Iugurtino apud Sallustium; Epidamni apud Apianum in secundo bel. Ciuiū; sic libro decimoquarto Silius Siciā; sic Statius sylvarum primo, Vopisci Tiburtinū describit. Apud Plinium lib. epistolarū octauo, uillā ad lacum Larium, ubi humiliorē Comœdiā, editiorē Tragicœdiam nominans; sic Sardinia apud Claudianum in bello Gildonico descriptio. Ficta autē portuum aliquot apud Virgilium descriptio; & apud Statium lib. septimo, Domus Martis, & comitum; apud Ouidiū regiae Solis lib. transs. ii. et. xi. libro, portus Thessalici, in Thetyos raptu, his sūt similia apud alios innumera; quorum quidē vsurpatio nec Gæographo plane, nec Historico, si modo officii vterq; suum sequitur, cōcessa est; sed, ut dixi, Poëtæ. Chorographia est quæ loca seorsū, tanquā separata a cæteris, picturæ similitudine obseruata prosequitur; vt si quispiam Romā eiusq; ad proxima sitæ formulam, ut re ipsa est, tabella effigiet. Quod si uere id, & pictura loco quem exprimit respondēte, prosequitur, Topographo adsimilis est; sin ficte, cum quadā tamē uerisimilitudine, id quod hodie prope pictorū licētia solet, Topothesiæ accedit, quam Poëtarum vsurpat licētia. His enim (ut bene Horatius dixit) Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Chorographia a Cosmographia, siue vt Ptolemæus, Gæographia, in hoc diuersa est, quod Gæographia tanquā summaria quadam designatione terrā, eiusq; partes præcipuas, ut deprehensæ sunt ac cogitæ, formula quadā & picturæ imitatione prosequitur; Illorū more, qui ante cōsummatam corporis per picturā repræsentationē, potioribus lineis ipsum ambiūt, potioraq; mēbra describūt. Chorographia sane nō ita. Proinde, vt Ioannes Vernherus, Cosmographiæ doctissimus, in Paraphrasi primi cap. primi libri Ptolemæi scribit: In pingendi arte sic fieri solet, vt cū corporū seu rerū simulacra describuntur, principālū imagines mēbrorū in primis & necessario cōpaginantur, atq; sub quadam simetria cōstituūtur; deinde huiusmodi simulacra, quantū ad discretionē suorū mēbrorum attinet, variis colorum differētis distincta sub stata ab artificis & pictoris aspectu distātia collocantur, quo artifex visus iudicio facile discutiat, quid in eis simulacris desit, desyderariq; valeat, aut quod iā fortitū sit artis cōsummationē & cōplēmētū. Haud secus fieri cōtingit Gæographiæ & Chorographiæ, hæc enim partiū orbis figuras & imagines in minimis etiā luis particulis depingit, & ad amissim repræsentat. Illa autē cōsiderat & describit integras prouincias cum his quæ ad generalē earū formā spectant, tanquā præcipuas & primarias orbis terrarū partes, tā magnitudinibus, quā simetriis seu cōmēsurationibus rite dispositas. Locorū deniq; situs, quos ex regiōibus seu prouinciis terrarū orbis, Chorographia tractat, neutiquā cōgruūt veris earū positionibus, quas in telluris superficie possidēt. Ipsa namq; circa locorū & locandorum qualitātē, magis quā quantitātē uersatur; quia locorū peculiāres similitudines oī modo nititur explicare. Simetriæ uero positionis locorū omnē fere curā, & diligētia studiū negligit. hucusq; Vernherus. Quæ quoniam scitu mihi non indigna videbantur, erudiendæ gratia iuuetutis in hūc locum transtulimus.

QUANTAM UTILITATEM IN SE GÆOGRAPHIÆ  
STVDIVM HABEAT.



Adrianus Imperator, quemadmodum de eo Spartianus scribit, Gæographiæ studiosissimus, cum apud terræ mensores descripta loca quandoq; esset admiratus, nihil cunctatus est, quantiscunque expensis, quin ad ea uidentia, aut terra, aut mari pergeret. Quod ipsum antea Germanicum Cæsarem assolitum legimus: quem incredibile cupiditate veteres locos & fama celebres uisendi, Græciam, Thraciam, oram Asiæ, & ipsas demum Armenias peragrasse Tacitus scribit, nec satis erat uidisse Asiā, in Aegyptū profectus est: idq; ut iusta causa facere uideretur, curam prouinciæ prætendit, cū reuera antiq; uitatis gratia cognoscendæ illuc transisset; quemadmodum idem author refert. Atqui testes illi nobis locupletissimi sunt, ita natura comparatum, vt in locorum perquisitione sese animus non ex fatiet, nisi coram ita sita uideat; aut dum cernendi copia non est, picturæ fide, quæ rerum prope omnium æmulatrix est, præscripta, tanquam coram spectet, intueatur. Porro hæc est autem animi humani, dum corpore ambitur, cognoscendi fors, vt nisi a sensibus profecta interior intellectus capere nequeat; & quæcunque cogitare & imaginari solemus, ea omnia certis figuris atque imaginibus circumscribamus; quo fit, vt ad ea demum cognoscenda, quæ terræ sunt, hoc est sedis hominum, maxime omnium necessariam esse Gæographiam, quæ omnia ceu picturæ nobis beneficio indicare solet, ipsa cognoscendi ratio fatetur. Cumq; hodie, & linguarum diuersitate, & quod magis obstat, gentium religioni nostræ infestarum immanitate datum non sit, vt ad uetustæ diligentia imitationem terras peragrarē, maria ingredi, insulas uisere facile queamus; quid commodius, quid etiam desidibus, & magnos labores, tum & itinerum pericula uitantibus, magis frugiferum esse poterit, quam in ocio, in vno loco, eoq; tam angusto, vt non nisi hominem cum depictæ terræ tabella capiat, eam sequi cognoscendi rationem, quæ minime uana cogitatione, addiscentis animi, ceu liberum a corpore, & in aërem elatum per totam terræ, vt habitat, utq; deserta est, extantem planiciem circunducat? An non iure quispiam illum pertusæ mentis, hæbetis animi, sensusque alieni esse dicat, qui mundum ex angusta locorum tabella, vt re ipsa situs est, cognoscere nolit? Strabo certe libro primo non semel indicat, inciuiles illos esse, & ad publica munia minus utiles,



vtiles, qui Gæographiæ partem non attigerunt. Ego non inciuiles solum, sed inhumanos esse asse-  
 ro, qui eam artem negligunt, per quam omnibus alijs ingenuis disciplinis aliquid ornamenti acce-  
 dit. Vlysses Homerus in primo Odyssææ tanquã a magna sapientiæ parte comendaturus, eum esse  
 dicit, Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes. Nos quoq; venerari, & cū admiratione qua-  
 dã eos, qui in Alexandriã, in Aegyptum reliquam, in Iudæam, Palæstinã, vbi Christi saluatoris sepul-  
 chrum est, aut in alia Mediterranei maris littora pfecti, cū reduces in patriam reuertuntur, suspi-  
 ce re solemus. Quis non videt quã magnum, quam decorum hodie in ipsa vulgi æstimatione sit, vidisse  
 Hispanias, limina diui Iacobi pulsasse: non religionis tã gratia, quæ nunquã satis commendatur,  
 sed ob id quoq; quod longa illi itinera emensi externos populos, & tanquam alium ingressi mūdum,  
 alios mortalium mores, aliã terram referunt: quin & torquibus ex auro insignes esse suo quodã iure  
 solent, qui Syriam attigerunt, & e Palæstina reduces sunt, cum tã ea nauigatio longe minus quã pu-  
 tat vulgus, periculosa sit. Quo non torque dignus est, qui duce Gæographia terras nõ ingreditur  
 solum, sed ambit, omniaq; ceu Ciceronis ille Africanus, desuper circumuectus cõtuetur. Hic enim  
 fructus est Gæographiæ, vt terræ totius sicut inhabitatur, primũ partes præcipuæ, mox insignia  
 vt sita sunt loca, maria, sinus, amnes, montes, fontes, specus, lacus, aliaq; innumera, ex pictura scri-  
 ptorum authoritati accedente, & locis quæ prosequitur respondente cognoscantur. Quodq; pul-  
 cherrimum est, ordine in omnibus seruato, & regionũ initijs finibusq; introspectis. Addo, quod illa  
 duce, quæ singulis terris secundũ cardinũ mundi diuersitatẽ, circumcirca confinia sunt, illico & ci-  
 tra difficultatẽ cognoscimus: vt si quis obiter de Numidia quærat vbi illa sit, quasq; terras proxi-  
 mas habeat, postquam id semel ex authoribus ad picturã adhibitis, didicero (adeo memoriam pi-  
 ctura iuuat) facile dixero esse Numidiã Africæ regionẽ, ob Massinissam illũ maximum & laborum  
 tolerantissimum regẽ, maxime celebrẽ: habere vero ab occasu Mauritaniã: ab ortu Africã, quæ mi-  
 nor cognominetur: a Septentrione mare nostrũ: a meridie Atlantis iuga, & Getulos. Simile fieri &  
 in alijs potest. Illud iterum dixerim, nullã aut historiã aut fabulã recte sine Gæographiæ cognitiõne  
 accipi posse. Addo & Philosophiã magna parte laborare, si Gæographiã nescias: nã, vt Strab. lib.  
 i. scribit, philosopho cū primis illa quæ de orbis situ est, tractatio ad manũ eẽ debet. Dicerẽ & sacer-  
 dotes nostros & Theologos multa ignorare in suis historijs, neglecta Gæographia: sed vereor, ne  
 quæ studio veritatis dico in malã illi partem accipiant. Verũ, vt sentio, dico: nec dissidet a verbis  
 animus. Euãgelij captus sine Gæographiæ captu mactus est: quã ita accipias velim, vt intelligas ne  
 æternã quidẽ doctrinam ab his recte tradi posse, qui regionũ, marium, ac insularũ ignari sunt. idq;  
 gratia exempli adductis locis aliquot, pro mea virili ostendã. De historia non est quod multa refe-  
 rã, cum rerum serie, vt dixi, postulãte, nullus non locus, quo quicquam insigniter gestum est, per illã  
 accuratissime reponatur. Cæterũ vt cūq; illa suis in locis graphice scribantur, nisi ad picturam pri-  
 mum omnium, dehinc ad illustrium authorum de situ terræ, testimonia referas, recte haud qua-  
 quam intelligi licet. Nam cum apud Suetonium, Florum, Virgilium, cæteros lego, M. Antonium  
 ab Augusto nauali prælio ad Actium promontorium victum esse, quid de Actio cogito? aut quora-  
 sum memoriẽ aciem tendo, si Gæographia duce eum Epiri tractum non cognoui, in quo haud lon-  
 ge a sinu Ambracio Actium est? Quid si ab Alexandro Darium aut ad Granicum Phrygiæ, aut ad  
 Isson Ciliciæ, siue ad Arbela Assyriæ, graui clade afflictum, apud Iustinum, Plutarchum, Diodorũ,  
 Curtiũ, cæteros, legis: quid tibi Granicus, quid Issos, quid Arbela sunt? At Strab. peto, Plin. peto,  
 Melã, Solinum, Cornucopiẽ (vt illi solent qui proximis sibi cõsulant) Perotti, alios: & quo nam in  
 mundo illa sint disquiro. Esto, verum non magis ac prius intelligis, nisi hos authores ad picturẽ e-  
 uidentiam contuleris, id quod Gæographia iubet, huius illud insigne exemplum fuerit. Tacitus li-  
 bro decimosextimo de Vespasiano: Igitur, inquit, oram Achaiæ & Asiæ ac læua maris præterue-  
 ctus Rhodum & Cyprum insulas inde spatijs audentioribus Syriam petebat. Quo in loco illud  
 quod ait (spatijs audentioribus) non nisi picturẽ ratione intelliges. Simile est in his quæ ad naturẽ  
 historiam attinent alijs alijsque locis celebribus: vt cum scio, ab littore Indico margaritas afferri,  
 Adamantem in India insignem, ex Eudæmonia Arabia thus myrramque asportari, Citrum ex At-  
 lante Mauritanie, Loton ad maiorem Syrtim, Spartum in citeriori Hispania nobilem, ad Anti-  
 cyram helleborum, ad Tyrum purpuram, in Paro marmor, sed minus insignie in Numidia, in Aegy-  
 pto Crocodilos Hippopotamosque, ad Hyrcanos tigres memoratas. Huiusmodi mille, nisi can-  
 didi lectoris fastidium formidarem, recensere possem, quorum nullum belle sine illo Gæographiæ  
 quod commẽdamus studio accipias. Poëtẽ qui verbis liberiores, ad picturam locorum propius  
 historijs accedunt, siue ficta, seu vera sequuntur, Gæographiæ captu maxime omnium indigent.  
 Proponam autem loca vulgaria ex his, ne quis de industria ex obscurorũ inquisitione me Gæogra-  
 phiẽ suffragari velle suspicetur. Virgilius: Pars Scythiam & rapidum Crete veniemus Oaxem.  
 Quid in rustico carmine sine ingenua illa noscendarum terrarum doctrina ages? sequeris Serui-  
 um? at lapsus est, vt in Gæographia frequenter solet: nam & huius peritia non nihil honorato  
 alioqui grammatico defuit. sequeris Landinum? Ne hic quidem bene sentit: vterque enim Me-  
 sopotamiæ fluum facit falso, adijcit vltra Landinus eum intra Caspium & Hyrcanum per re-  
 gionem quandam fluere: tanquam aliud a Caspio sit Hyrcanum, contra omnium scriptorum  
 sententiam: quanquam Mela libro tertio in Caspio sinum occiduum intransitibus per eius fre-  
 tum a septentrione, Caspium: meridianum vero ab accolis Hyrcanum nominat: verum nulla re-  
 gione



gione intermedia, nisi vero post Angelum Politianum peritissimū grammaticum, ipse quoque Her-  
molaus apud Plin. lib. sexto cap. decimosexto hunc Virgilij versiculum explicuisset, errorē traxisset  
amplius opinio, illis etiam doctissimis interpretibus annuētibus. Alius enī est in Scythia Oxus,  
alius in Creta Oaxes, vbi & Oaxum oppi. In ægloga secunda, vbi ille versus est: Amphion Dyr cæ  
us in Actæo Aracyntho: Aracynthum Seruius Thebanum montē nominat, falso: vt & Beroaldus,  
diligentissimus Grammaticus adnotauit: nā Aracynthon capit. secūdo lib. quarti Plinius in Acar  
nania ponit. Prætereo multa, ne institutam in excutiendo Pomponio operam præuertam. Singu  
lis enim locis, cū id nobis negociū mouebitur, singula pro nostra virili afferemus. Notare tamē no  
bis cursim, & tanquā (vt aūt) e Nilo canis gustare placuit. Carthaginēsis portus in primo Aenei  
dos, tēpestatis itē ad Syrtes descriptio, atq; (vt summam aliqua referā) tota illa nauigationis Ae  
neæ p̄ Mediterraneū ratio, quomodo sine excussis Gæographiæ rudimētis saltē, intelligi queat.  
In Lucano lib. j. de Rubicone: Et Gallica certus Limes ab Ausonijs determinat arua colonis. Hūc  
versum, nisi picturæ obseruatiōe habita, nemo intelligit: sicut nec illum eiusdē loci, Thetis maiori  
bus vndis Hesperiiū Calpen summumq; impleuit Atlanta. Quid de Padi, & aliorum amniū com  
puriū, de Apennini, de Brūdusij descriptione, in secundo libro. Quid de Catalogo auxiliorū Pom  
peij, lib. tertio. In quarto de Clupea, Bragada, & Antæi regno. In quinto de Phocidis, Parnassi, &  
Oraculi Delphici situ: & inibi, de Euboea, Chalcide & Caristo, ipsoq; Eurypo, tū & Rhānūte, Auli  
de, alijsq;. In sexto, Thessaliæ descriptio. quid non sudoris ignaro terræ situs parit? & vt multa  
prætereo, quis illū in octauo locū non Gæographus explicet? Diuidit Euphrates ingentē gurgi  
te mundū: Caspiāq; immēsos seducunt claustra recessus: Et polus Assyrias alter noctesq; diesque  
Vertit, & abruptū est nostrū mare, discolor vnda, Oceanusq; suus: regnādi sola voluntas. In no. o  
de Pallade Tritonia, vnicus Mela interpret esse potest, tum & ille inibi de terrarū diuisiōe locus,  
alibi (vt cætera) a nobis explicabitur. Addo & illū ibidē: Non Asiam breuioris aquæ determinat  
vsquam Fluctus ab Europa, quamuis Bizantion arcto Pontus & Ostriferam dirimat Chalcedona  
cursu, & c. cū his quæ sequuntur. In decimo, Nili descriptionem pictura indicat, quamuis diuersa,  
magnis authoribus sentientibus, depingi nō nisi vna facie potest: vt aut ex Nuchul lacu ortus a  
Mauritania profuat, vt Iuba, authore Plinio sensit: aut a Lunæ montibus, & ipso austro per areno  
sa interioris Africæ, & ipsos Aethiopus in Aegyptū descēdat, vt Ptol. & fere alijs. Cæterū de hoc  
in Cōmentario, ad reliquos transeo. Apud Claudianū lib. contra Rufinū primo: Instabilesq; olim  
Symphlegades, aut freta remis Inclyta Thessalicis, celsa qua Bosphorus arce Splēdet, & Othry  
sij Asiam discriminat oris. Et infra paulo: Est genus extremo, & c. vbi Scytharū gentes describit.  
In secūdo post principiū, quid non Gæographiā habet? vbi gentes a Ruf. in arma concitatas enu  
merat. Rursū infra paulo: Galli (iquit) quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit, Et quos  
nascētes explorat gurgite Rhenus, Quosq; rigat retro perniciosior vnda Garumnæ Oceani pleno  
quoties impellitur æstu: quorū versuū vltimū nihil aperit exactius illis, quæ de Garūna lib. tertio  
Pompo. scripsit. In Gildonico inter plura hoc Gæographicum est: Priuato iure tenemur, Exigui  
specie mūdi, qđ Nilus & Atlas Dissidet, occiduis qđ Gadibus arida Barce, Quodq; Parætonio  
secedit littore Gāges. Quid alia referā? Epigrāmatis portus Zarinēsis Topographiā, Nili pri  
uatā descriptionē: iam raptus Proserp. adeo insignibus mōtiū, vrbiū, lacuū, amniū locis refertus est,  
vt piaculū mihi videatur, si quis Gæographiæ expers, tā eruditū poēma attingat, nedū euoluat,  
profiteat. In Stiliconis cōtra Alaricū victoria, præter Larij & Rhetici descriptionē, hic quoq; lo  
cus Gæographiæ est: Irriget Aegyptū Tanais, Mœotida Nilus: Eurus ab occasu, Zephyrus se  
promat ab ortu, Caucasusq; iugis calido nigrātibus Austro, Gætulas aquilo glacie cōstrigat are  
nas. In scdo vero in Eutropiū, vbi Phrygiæ limites describēs, Thynorū Bithynorūq; meminit, quē  
aliū qđ Gæographū Claudianū dixeris? trāseo Encomia in Stiliconē: vel ob hoc maxime erudita,  
qđ locis Gæographia explicādis refertus est. Catalogi Poëtarū locorū enumeratiōe nō minus qđ  
historijs fabulisq; cōstāt, vt ille Virg. decimo Aeneid. qui copias Aeneæ in Turnū pficiscētis cō  
plectit: & alius sep. lib. locorū Italiæ cōfertissimus. Valerij Flacci lib. j. de Argonautis: & ille ex  
exercitus Thebanorū apud Statiū lib. vij. apđ Siliū lib. iij. de populis ab Hānibale excitis: apđ quē  
alias passim frequēs admodū locorū mentio est, vt Carthaginis situs lib. xv. Siciliæ, Aetnæ, lipa  
res in decimoquarto descriptio: in octauo delectus gētiū Italiæ & vicinarū, ad Cānensē pugnā,  
eruditissima p̄cēsio. In priō, Hispaniæ, Sagūti situs. In tertio, fōtis solis, Oraculi Hāmonis ad Cy  
renaicā: In quarto Apēnini, & multorū Italiæ locorū descriptio. Quis vero Vale. Flacco ī Pōti  
ci littoris descriptiōe, quā quarto libro p̄sequit, copiosior? quis ī illo catalogo, quo sexto libr. Per  
sæ copias enumerat, eruditior elegātiore esse posset? alia trecēta prætereo, quæ singula singu  
lis Gæographiæ præceptionē exposulāt. In Statiij locis p̄cēsendis nullus esset modus, si paulo  
diligētius exquirerē. Horatius in terris reddēdis, vt amoenus & pprius est, ita nō nisi in loco id a  
git, reliquis nō raro de industria ī locorū depictionē digressis. Senecæ difficultatē Gæographia  
peperit. Quid, vt vbiq; verborū sentētiarūq; vbertate redūdat, sic vbi postulat ratio, adeo cōmo  
de, adeo erudite locorū meminit, vt nullo sit inferior. Cæterū vt paucissima libemus, lib. Met. xiiij.  
Has vbi præterist, & Parthenopeia dextra Mœnia deseruit, læua de pte canori Aeolidæ tumu  
lū. Quē locū nisi Gæographicis mēbranis adhibeas, intelligere nō poteris. Itē lib. viij. & iam Iu  
nonia læua Parte Samos fuerat Delosq; Parosq; relictæ, Dextra Lebinthos erat fœcūdaq; mel  
le Calydnæ.



le Calydne. Et lib. xi. Dextera Sygæi, Rhæteilaeva pfūdi, Ara panompheo vetus est sacra tā nāti. In quibus omnibus dextri & sinistri respectus ex tabularū pictura, hoc est ipso loci situ accipitur. Hæc ex latinis, nec his quidē omnibus. Quid Græcos suspicemur? quorū princeps Homerus lib. Iliados scdo, quanta locorū, quāta rerū copia refertus est: in illo præsertim Græcorū ad Troiam nauigantiū catalogo: in cæteris eadē locorū copia, sicut Strabo testis est, i cuius toto ope tot insignia ex Homeri poemate tralata loca passim sunt, & explicatur. Ex his p me hætenus adductis locis, quantā operā noscendæ terræ principes illi vates adhibuerint, patere potest. Ridiculi vero sunt, qui imitādo, similia, aut eadē quæ illi retulerūt, describi posse existimāt: quasi Gæographiæ studio i his noscēdis nō sit opus. Si ridere artificē solemus, qui nihil sine icone, nihil sine exēplo suo pte ingenio præstare potest: cur illū nō merito doctiores rideāt, qui e riuo q̄ fonte dulcē doctrinarū haustū facere mauult? deniq; qui id studeat imitari, qd̄ ignorat? cū ad imitādū tamē accuratissimo iudicio, & præcipuo eius, qd̄ velis imitari, intellectu sit opus: nec plane studiosis discēdæ ex poētis terræ locus est: raptim enim, & vt argumētōrū ratio postulat, sine ordine, tū & seorsū iam hæc, iā illa, quæ tñ haudquanquā absq; Gæographiæ picipijs intelligas, describūt. Vt vero ad ea quæ ad religionē attinēt nostrā, huius artis cū primis egētia, pueniamus: Deslenda mihi nostrorū tēporū, nescio desidia ne, an insolētia magis laboratiū, calamitas videt. Sequimur artes i geas nuas; at eas sequimur quæ præter vile famulitiū i reliquarū doctrinarū cōlegio nihil prorsus muneris habēt. Et sunt qui, vt Gellij verbis vtar, totā vitā in ista futili ac puerili meditatione argutiarū, nihil ad vitā, neq; tuendā, neq; ordinandā promouēte conterunt, male nimirū feriati: atq; vtinā nō solo ppenoie, & pallio philosophi: qd̄q; Epictetus dicere solebat, ἀνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. Præterea magna hodie studiosorū, & cū primis scholasticæ Theologiæ pars nō alios magis artiū peritos noīat, q̄ qui Gramaticen, & quidē hanc quantulācunq; Logicen non omnē, sed spinosam illam, quæ quisquiliarū multū, frugis minimū retinet, Physicenq; vt cunq; psequitur. Interim Arithmetice, sine cuius peritia ne hominē quidē humanū esse Plato iudicauit: Rhetorica, quæ orationē cōdit flexanimā, vt Cicero ait: Astronomia, quæ cœlos, & immunia naturæ caducæ corpōra solet ambire. Gæometria, vnde omnis demōstratæ mēsuratiōis origo est: Musica, quæ laboratiū animorū molestiæ vel vnica succurrit: in postremis apud illos subsellijs locū habēt. A deo pro h dolor, vt si Musicū aliquē dixeris, leuis & cōiualis (ita ipsi aiunt) nominetur: si reliquo quadruuo, vt vocant, doctū, hominē illi autument naturæ plus q̄ deo tribuentē, aut stellis inhærentē magis, q̄ his quæ ad securæ rerū aliarū vitæ frugem faciant. Vt lapsū videlicet Paulū existimemus, qui cap. ad Romanos primo, ex creaturæ & operū Dei cognitiōe ad inuisibilia Dei, ipsamq; æternā eius potentiā & diuinitatē peruidendā, cōscēdi animo posse indicat. Eloquar an fileam? Volūt illi cœlū, resq; cœlestes ignorari, nolunt vt quicquā demonstret, & interim Academicis coniecturis inuoluunt omnia. Quodq; ex pffesso, nec Musicā, nec Arithmeticā, nec Astronomiā plane Aristoteles (vt ipsi autumat) libris demandauerit, eas artes vt exoticas negligi sine doctrinæ aut eruditiōis dispēdio posse sibi psuadent. Idē in Gæographiæ studijs euenit: quæ illi ne pili quidē facientes, totā situs terræ rationē negligūt: credo, ne a cœlestibus suspēsī, terrestribus immerfent, si terrā āpliori scrutino inquisierint. Sed vtinā non auro magis multi q̄ terra delectarētur: nec illo a diuinis omnibus flexi, in terra magis thesaurizarent q̄ in cœlo. Iā dixi hominē sacrarū literarū studioso ita Gæographiam adiumētō esse posse, vt sine ea multa ignoret, plurima vero nō nisi magno labore intelligere queat. Lucæ verba sunt (vt obiter aliquot exēpla adducā) cap. Euangelij sui scdo: Exijt decretū a Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. & c. Illi, vt a nō parū eruditis audire soleo, descriptas oēs orbis vel magis terræ partes autumant. Verū vt illud omittā, quod nesciūt pleriq; oēs, eo in loco, quid descriptio sit, aut quo fine Augustus orbē describi voluerit: qd̄ authore Ambrosio discere poterāt: vnicus mihi ex Gæographia error annotādus est. Totū orbē existimāt descriptū. At nec Aethiopiæ, nec Indiæ, nec Scythiæ plane Augustus ius habuit: addo Armenias, Sarmatiā, Germaniam, multa Galliæ, multa Hispaniæ: vt ea quæ i vteriorē Arctoi Oceani pcursum attinēt, omittā. Quid igit? nō totū orbē Augustus describi iussit, sed eū qui sibi subiugus, suæ ditiōis frena sustinuit. Qui quantus fuerit, aut quibus clausus limitibus, historiarum mihi fides adperit. Hæc vero nisi ad Gæographiæ certā demonstrationē adhibeat quisquā, cassa erit cognitio. Atq; vt de me loquar, non aliter credidi adolescēs, q̄ Romanos, & Augustū ante alios orbe terrarū fuisse potitos: nulli ex Floro, nulli ex Liuiō, Dionysio, Suetonio, ac fere cæteris, tanti imperij limites adparebant. Florus primus me seduxerat, qui in secūdi belli Punici descriptione, victā Carthaginē secutū fuisse terrarū orbē ait. Sed postquā illā habitatæ terræ vastitatē vnica historiarū lux Gæographia mihi reclusit, cognoui quid Romani olim vicissent, quid inuasissent partis victorijs, quid retinuisissent, quid alij sui inris libertate fuerint tutati. Et ratiōe habita, deprēdi multo minus dimidio mundi, hoc est terræ Romanis, eo etiānum tēpore quo florentissimū eorū imperiū fuit, paruisse. I nunc, & totū ex Augusti edicto mundū descriptū fuisse tibi psuadeto, ac nō potius figurate dictū ab Apostolo puta qd̄ dixit. Quid illa memorē, quæ de mari Tyberiadis, Galileæ, de alijs id genus, Euāgelicæ traditiones referūt? Transeo ad Paulū, qui ad Romanos. xv. cap. a Hierusalē se ait, & circumiacētibus terris vsq; ad Illyricū euangeliū Christi impleuisse. Quas terras intelligis? cū inter Illyricū & Hierusalē in meridiē magis intersit mare nostrū. At si dixerō Syriam maritimā, Ciliciā, Pamphiliā, Asiā, & in nostris Macedoniā, Achaiā, Dalmatiā, vsq; in Illyricū, Paulum intellexisse: æque ac prius



quid referā ignoras. Picturā enim nō vidisti: situm terræ, & regionum, vt se sequant, suisq; distant finibus, non obseruasti: & vt vere dicā, Gæographia irrita cōtemptaq; nunquā didicisti. Addo illud ex eiusdē. xvi. cap. Cōmendo autē vobis Phœben, quæ est ministra ecclesię Cenchreĕsis, & c. Vbi Cenchreĕ sunt? Pōponius, ij. lib. in eo inquit (Isthmū intelligens) est oppidum Cenchreĕ, fanū Neptuni. & c. Plinius quoq; quarto lib. vbi de Isthmo: Corinthiacus hinc, illinc Saronicus appellatus sinus: Lecheæ hinc, id est ab littore Isthmi occiduo, Cenchreæ illinc ab ortu scilicet āguſtiarū termini. Vbi Hermolaus ait Corinthios portus suos λέχῃ dicere solere. Lecheę enī Corintho magis vicinę sūt. Cenchreę autē in ortu sitę in Saronico: vbi illa Paulo Ro. cōmendata Phœbe ministra fuit. Pto. lib. tertio degeneribus indubie vocabulis, nisi vitiatum est codex, alterū Letheū, alterū Centrium nauale nominat: sitū autē indicat ex pictura tab. Europæ decia. Quin & ipse Paulus aliubi ad Galatas iij. cap. vt eorū quę refert apertior sensus eſſet, locū scribens: Nā Agar, inquit, Sina mōs est in Arabia: cōfinis est autē ei quę nunc vocatur Hierusalē. Verū cū triplex Arabia sit, dubium est vbi Sina sit. Sed in Petrea esse supra Palæstinā in meridiē Gæographia indicat. Pto. Melanē nominat. hodie est mōs diuę Catherine, memoria legis Moſi datę insignis, vt Raphaël scribit. Iā illi Actorum libri, qui vitę apostolorum historiā cōtinent, locorū mētionē cōfert, sine magno terrarū cognitioni impēlo studio, neutiquā intelligūtur. Sūt in promptu mihi loci, nec pauci: quos, nisi mihi ad alia acceleranti paulo maior, q̄ institui, præfandi labor pareretur, plibēter recenserē. Verum e mille huiusmodi, libasse paucissima sat sit. Actū. ij. Nonne oēs isti qui loquunt, Galilæi sunt? & quomodo nos audimus sua quisq; lingua qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitę, & habitatores Mesopotamię, Iudæęq; & Cappadocię, Ponti & Asię, Phrygię & Pamphyliaę, Aegypti & partiū Libyę, quę est finitima Cyrenę, & aduenę Romani, Iudęiq; & Profelyti, Cretes & Arabes: audimus eos loquētes nostris linguis magnalia Dei. & c. Nemo nō Gæographus hūc locū intelligit. Itē cap. xiiij. eiusdem: Peragrataq; Pisidia, venerunt Pāphylia: & cū locuti essent verbū Pergę, descenderūt in Ataliā, vt idē soluerēt Antiochiā. & c. Et. xxj. cap. Ego sum (dixit Paulus) Tharsensis, Cilicię nō obscure ciuitatis cuius. Vbi sit Tharsus in Cilicia, Gæographorū est ostēdere: nā minime satis est, cuiusq; illud excutienti interpreti acquiescere, nisi picturę fide per terrę vastitatē ducaris. Idem de Damasci intra Libanū & Antilibanum situ assero: cuius intellectū vicesimisecondi cap. historia desiderat. Nocturnis vero sunt oculis ad Solē, qui illotis huius artis peritia manibus, et deside ad terrę opes ingenio vltimū ac penultimū eiusdē historię caput legere audēt. In his equidē non acta solū Apostolica, sed regna, sed maria, oppida, insulæ: tum & ea quę ad historiā, & quę ad Physicam attinent (vt ille est de Castore & Polluce locus) litera quidē simplici, at vero sensu haudquaquā facili, nec nisi peritioribus obuio. Postremo Theologis nostris historię sunt de sanctis passim & beatis, quas barbaro nomine Legendas appellant, in quibus cū sint multa nec apte admodū, nec historice relata, sunt tñ præcipue obscura, quę regna, vrbes, oppida, terras, vt cunq; legenti offerunt. Est q; in primis is anceps in Bartholomæi historia locus: Indiæ tres ab historiographis asserūtur. Prima est India, quę ad Aethiopiā mittit. Secūda quę ad Medos. Tertia, quę finē facit. Nā ex vno latere tenebrarū regionē gerit, ex alio latere mare Oceanū. Quo in loco, quid p tenebrarū regionem (vt alia taceā) intelligendū sit, quæritur. Est & apud diuū Hieronymū illustrū in religiōe & fide nostrorum Catalogus: cui nisi illā difficiliū itinerum ducē Gæographiā adhibeas, nunq iuxta melam, vt aiunt, intelliges. Transeo quod scholasticis sacrarum literarū interpretibus in lib. Sententiarum secūdo, distinc. xvij. vbi de Paradisi situ, & cōmoda sub æquinoctiali habitatione, ingens inter eos certamē est, multa haudquaquā satis excussa, ob Cosmographiæ ignorantia, in mediū afferuntur: de quibus alio in loco nobis percensendi occasio fortasse dabitur. Nunc Gæographiæ pro virili ostensa commoditate, ad reliqua instituti laboris pergamus.

Quomodo pro situ terræ, maris, insularum apprehendendo,  
picturæ ratione obseruata, bene ordiamur.



I locorū descriptiōi ex Plinio, Strabone, Mela, cæteris, picturā tabularū diligētī scrutinio habito adplicuerimus, nihil Gæographia facilius amœniusq; est. Sin seorsū, & neglecta picturæ obseruatiōe, cursim quæq; vt scripta sunt, strinxerimus, nihil omnium difficilius Gæographia, nec aliud prope studiū, quod cogitātis aciem magis obruat, varietate & numero memoriā eludat. Testis mihi est perpetuū in hac arte multis mensibus, ac vere dixerim, annis studium. Quāobrem ipsa multis remota seculis vetustas, vidēs locorū serie terręq; forma, quæ oculis exhibere, ad verā rerum experiētia deprehēsarū cognitionē opus esse, tabulis vsa est, suis etiā parallelis vtcunq; distinctis, vt libro tertio satis indicat Strab. Sunt porro & apud alios eiusdē rei testimonia. Plutarchus in vita Thesei, interprete Lapo: Quę admodum, inquit, in orbis terrę situ describendo historici solent, vt ad quę ipsi cognitione aspirare nō possunt, extremis tabularum partibus supprimentes, quibusdam adiiciunt locos esse vastos, arenosos, & cœlo terraque penuriam aquarum, aut limum insuperabilem, aut montem stiticum, aut astrictum frigore Pontum. & c. Vbi ostendit priscos, qui in locorum situ explorando fuissent occupati, tabularum picturis, quatenus per experientiam li cuiſſet, omnia explicuisse. Herodotus vetustissimæ historię scriptor, ait in Terpsichore, Aristagoram tyrannum Milesium ad Cleome-

nem



nem Spartanorum regem aliquando venisse, allata tabella quadam aërea, in qua totius terræ ambitus erat incisus, cunctumq; mare, atq; omnia flumina. Apud Propertiū libro quarto, ad maritū suū Lycotam sic scribit Arethusa: Et disco qua parte fluat vincēdus Araxes, Quot sine aqua Parthus milia currat equus. Cogor & e tabula pictos ediscere mūdōs, Qualis & hæc docti sit positura dei, Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu, Ventus in Italiam qui bene vela gerat, Ouidius quoq; percallens ad locorum cognitionem pictura opus esse, hæc ad Vlyssē Penelope verba tribuit: Iamq; aliquis posita monstrat fera prælia mēsa, Pingit & exiguo Pergama tota mero. E vetustissimis autem post Homeri tempora, Anaximandrū Thaletis familiarē & conciuē de situ orbis descriptā edidisse tabulā, Hecateū autē Milesiū codicem eius rei reliquisse, Strabo scribit libro primo. Necesse igitur mihi videtur, vt is, qui fidelia non Geographiæ modo, sed & Cosmographiæ fundamenta iacturus est, a pictura ordiat, & ea maxime quæ terræ marisq; attinentē effigiē continet. Licet me non prætereant, tenuem esse terræ notitiam, si cœli ratio huic non respondeat. Quod ad Eratosthenē scribens Hiparchus satis testatus est, q̄n̄ terrenæ descriptionis notitiā capeffere sit impossibile absq; rerum cœlestiū & eclipsium ante alia obseruatione: sicut Alexandria Aegypti deprendi nequit (vt ex eodē Strabo refert) vtrū magis quam Babylonia in Septentrionē, quam in Austrū sit exposita, nec quanta illarū distantia sit, sine Climatum obseruatione dinoscitur: Simili modo vrbes ad orientem, & ad occasum magis minusq; accedentes, nullū sane exacte cognoscere, nisi p̄ eclipticas Solis & Lunæ cōparatiōes: Tū quia prius terræ noscendę mortales incubuerūt & hinc tanq̄ ad altiora profecti, cœli dimensiones, terræ, vt erant, applicuerunt, recte agit qui terrā prius, cœlū vero loco secundo inuestigat: hoc enim modo & memoria sit firmitior, & celerior cogitatio, & oīam parallelorum, qui aut latitudinē discernunt, aut lōgitudinē indicant, quos illi locos abiant, & quatenus attingant, intellectus certior existit. Priō igit, cū terræ visendę desyderio animus rapit, in ḡn̄alis descriptiōis tabulā itroeat; nam nisi ex coherēte partiū orbis pictura viderit quispiam quo modo singulę regiōes cōeant, quibusq; finibus discretę pandant, maris fluxu, introituq; , & littorū intra extraq; forma obseruata, nunq̄ ille partim aut hāc, aut illā scorsum regionē inspiciedo proficiet. Inde illud est, qđ multi, dum totum extantis terræ corpus non apprehēdūt, ne partes quidē eius, quæ apud Ptolemęum singulę in singulas tabulas redactę sunt, recte vnquā accipiunt. Multū autē iudicio meo refert, qua picturę ad prospectum applicatiōe vtať, qui loca terrę demonstraturus est, aut ipse recto ordine inspecturus; nam tabularum ḡn̄alium, quas Mappas vocant, effigies & formula, Cosmographica ratiōe, & eo, quo solet Ptolemęus, modo fere describiť: vt videlicet proportione quadam parallelorum ab æquinoctiali, et meridianorū a polis ductorum inter se distantia, terram illam quæ in arctō latitudine excurrit, ita fastigiēt, vt inspiciedi sursum versus eleuet, parte altera meridiana deorsum vergēte; qđ quidē alio modo fieri nequit, maxie si cœli rationē huiusmodi terrę superficiēi adhibuerimus. Porro & hæc eius rei causa fuerit. Quod terra latissime citra equatōrē in Septentrionē patens nusquam habitāť frequentius; & Ptolemęi etiam etate quæ in meridiem abeunt, nō admodum cōperta explorataq; fuerunt. In illo vero terrę cognoscēdæ studio, qđ supra Geographiæ proprie intellectu tribui, cum præter mediatoris & Tropicorum cognitionē, alia iterum nō sit opus, tabulā inuerti, modoq; cōtrario aspici fortasse nō erit inutile, hisq; in primis qui hæc studia a rudimētis ordiunt; nec facile dixerim, q̄ parua ī his neglecta noceant, obseruata iuuēt. Ego studiosis adolescētibus, & prouectę etatis viris insignes Geographiæ scriptores aliq̄n̄ interpretatus, vtroq; modo demōstrandū sum vsus. Verum in illo superiori hēserūt plerunq; ex sola aspiciēdi ratiōe, nō parum eruditi; cum, tanquam ad meridiē stantes, p̄xima sibi esse Africę extrema, & ipsum Indicum Oceanum iudicārēt, lōge aut in Arcton abeuntē Europam suam, in qua essent, p̄spicerēt, a qua solitudine p̄pe nulla, tabulę eos inuersio liberauit; quum in Europa stare sibi, & ex eo loco in quo essēt, ingētes terrę partes, ipsaq; maria, vt ī meridiē, ortum, occasum, ex Europa eo modo, quo iacēt, spectari possēt, cōtueri videbant. Et me hercule fieri nequit, vt in meridiē p̄spiciēns, ortum, occasum, & omnia ī meridiē vergētia, quispiam ex Europa, eo tabulę situ, quo eam Ptolemęus locat, hoc est, polo nocteo eleuato, cōspicuoq; se, p̄spicere, vel imaginari possit. Cum ergo minimum sit, qđ ab Europa in Septentrionē, præsertim in Germania sitis, restat, si ea itrospexeris, quæ minori latitudine parallelorum in ortum, occasum, & Austrum excurrunt. In hanc sentētiā ita vel pedibus eo, vt modum ex inuersa tabula demōstrandū nō solum nō damnē, sed & vehemēter p̄bem. Ordinata igit ad idoneum aspectum tabula, obseruandi sunt cōmunes cardines, ortus scilicet, occasus, meridies, & septentrio; mox demōstrandū, quomodo terræ habitatæ extrema in eos pandant; qđ quidem cōmode fieri poterit, si prius tres potissimas terræ partes cursim ostēdamus. Inde Asiæ littora indicabimus, quomodo a Nilo per sinum Arabicum, Persicum, Gangeticum, Magnum, vsque ad flexuram, quæ in ortum vergit, in meridiem excurrant, inque mare, quod Indicum a longissimo tractu littoris Indiæ nomen habeat; hinc Eoa littora, & mare Eoum; tum & illa quæ in septentrionem versa adusque Ryphæos excurrunt, & sinum admittunt Caspium. Inde Tanaïis monstrandus, vt oritur, vt in paludem Mæotim defluit, qui Asiam ab Europa illic seiungit; E regione vero Nilus, qui ab Africa eandem discernit. Hinc Mediterranei maris ortus, excursus, & quæ passim littora abluat, fideli demonstratione picturæ indicetur. Tunc referendum, totum hoc quod trans Nilum & Mediterraneum in occasum & meridiem panditur, Africæ nomen habere;



habere: quæ a Septentrione interfluo mari ab Europa discernatur, ab occasu Oceanū habeat Atlanticum nominatum: a meridie Austrinum, siue Aethiopicū: oriētālē autē oram partim Oceano, partim Nili defluxu terminari. Nec incōmodum fuerit mihi narrare, ea quæ in meridiem hodie explorata habeamus, recentiorum industria obseruata esse: Ptolemæum autē pleraq; illic latuisse, quæ admodum & in Eoa Indiæ parte multa hodie deprensa, quæ vetustiores latuerunt. Postremo Europā referemus, vt ceteris omnifariam mortalium frequentia magis insignem, ita multo minorē: eam vero ab ortu, dicto Tanai, Mæotide, Euxino: a meridie, Propōtide, Aegæo, Ionio, & in summa, nostro mari abluī: ad Occasum Oceanum Atlanticum extimē Hispaniæ illitora labentem: a Septentrione eundē Oceanū verū aliis, aliisq; nominibus terminū habere. Hinc signum mōtium mentio fieri poterit, ceu in Africa Atlantis, in Asia Tauri, in Europa Pyrenæi, & Alpium: quatenusq; & qua facie terras dirimant ostendēdum. Postremo per mēbra harum partium potissimas regiones, quiq; in ipsis maximi amnes, quiq; crediti termini, quæ potissimē ciuitates sint, paulo diligentius referendū est. Vt in Europa, si (gratia exempli) ab Hispania orsus, eam ab Galliis, Pyrenæis montibus seungi indicem, ipsam autem Hispaniam in citeriorē & vltiorē partiri. Citeriorem Pyrenæis proximam, & a Septentrione in occasum vsq; procurrere, in ea Iberum maximum amnem esse. Vltiorem puincias habere, Bethicam, quæ in angustias freti, ad quod Herculis sūt columnæ, vergat: ibiq; de colūnis quicquam referendum. Nec oberit, aliquando aut fabellā, aut historiam, quæ consona loco sit, ad oblectationē, animosq; horum, qui prospiciunt, alliciendos enarrare: dictu enim difficile est, quam exacte illa omnia ad picturam collata intelligant. Hinc dicā Bethim in ea maximum fluuiū: eumq; vt pictus est bacillo indicabo: Lusitaniā alterā esse prouinciā, quæ a Bethica, Ana fluuio seiungatur: amnem in ea esse Tagum, pōētis maxime celebrē: & Vlisbonē ciuitatem, quæ hodie Lisbona dicitur, regis Portugaliæ sedem. &c. Quod de Hispania refero, in aliis omnibus per Europā regionibus faciendum est. Nec interim negligēda maria, vt & ipsorū tantilla saltē notitia habeatur. Quod si eius rei studioso p̄ceptor defuerit, mutis (vt aiūt) magistris vtendū est, & insigni semp ad manū habita pictura, priuata diligentia omnia exquirenda: quāquā in hoc magnus labor, sicut in aliis quoq; insignibus doctrinis, quæ sine p̄ceptore discuntur, tum & tempus dispar: quid enim capitur citius q̄ cuius p̄uium monstratorē habemus? Optimum vero est, cum illuc peruentum fuerit, vt per partes terra demonstretur, p̄ceptorē vel optimum, negocium haudquaquā accelerare: ne aut multitudine traditionis diuersę picturę animus addiscentis obruatur, aut (quod sepe fit) rudimētis raptim, & negligentius, q̄ oportebat, propositis, reliqua, quorum maior labor est, male subnixā dilabatur. Proderit ergo hora vna Hispaniam, modo quo dixi, vel, si lubet, paulo exactius demonstrari: subinde vero illis, qui viderint, tempus paulo iustius dari, quo ad picturam astantes, attentissimis oculis omnia illa dispiciant: iamq; longius, iam p̄pius intuentes picturam ita hauriant, vt cum abierit, ea ipsa sensibus imbibita, eadē cogitatiōe prosequi valeāt. In hoc, vt expertus sum, verus profectus est. P̄terea plurimos simul erudiri nolim, nil enī exacte satis nisi magno labore multitudinē demonstrā. Satius est igif certo numero tanquā in classes diuisis, diuersas horas destinare, q̄ simul oēs admittere. Vbi vero totam terrā hac diligentia quis emēsus est, vt qui didicerūt, maris vt extrātraq; est, & potiorū regionum situm, procursum, & trium illarum partium ad se inuicē p̄portionē, quamq; effigiē quelibet seorsum p̄sentet, edidicisse plane, & memoria tenere videant: referre potest diligēs magister, vetustos, cum p̄ longā experiētiā terrę amplitudinē in tres partes diuisissent, in cōmunibus terminis nō cōuenisse: aliquos enī Mediterraneo & anibus Nilo ac Tanai limites signasse: plerosq; terra potius intermedia fecisse partiū terminos: p̄terea duas tm̄ partes multos fecisse, nec eas quidē pari modo. De limitibus a terra sumptis Dionysius satis explicat in Periegesi, siue Rufum, seu Palemonē quis legit: meminit & Strab. Quæ vero ad partiū numerum attinet, vt mihi p̄sentia succurrūt, hęc sunt. In diuisiōe orbis (inquit in Iugurthino Sallustius) pleriq; in tertia pte Africā posuerunt, pauci tantūmodo Asiam & Europā esse, sed Africā in Europa. Quam sentētiā secutus Lucanus, libro ix. sic scribit: Tertia pars rerum Libye, si credere famē Cuncta velis: at si vōtos, cœlumq; sequaris, Par erit Europę: nec enī plus littora Nili, Quam Scythicus Tanais primis a Gadibus abūnt. Vnde Europa fugit Libyen: & littora flexu Oceano fecere locū, sed maior in vnā Orbis abit Asiam: nam cū cōmuniter istę Effundant Zephyrū: Boreę latus illa sinistrū. Contingēs, dextrūq; Noti descendit in ortus, Eurū sola tenēs &c. quē locum nemo prorsus Geographiē ignarus, vt cūq; vel sex cētos interpretes legat, sine picturę fide intelligere potest. Idē Orosius cap. secundo libri primi aliquibus placuisse refert. Plinius tertii libri cap. primo scribit Europā plerosq; merito non tertiam portionem fecisse, verū equa, in duas ptes ab amne Tanai ad fretū Gaditanū vniuerso orbe diuiso. Quo in loco indicat Africam multorū sentētia ad Asiā reiectā fuisse, & duas tm̄ terre partes, verū alio q̄ Sallustio & Lucano visū est, modo statuisse. In hanc sentētiā Silius lib. primo sic scribit: Aestiuo Libye torquet subdita Cæcro, Aut igēs Asię latus, aut pars tertia terris. Sed receptissima illa est orbis in tres partes magnis authoribus descriptio: de qua illa Plinii a p̄cipio tertii libri verba sunt: Terrarū vniuersus orbis in tres partes diuidit, Europā, Asiam, & Africā: ori-go ab occasu solis & Gaditano fretu, qua irrūpēs Oceanus Atlāticus in maria interiora diffundit: hinc intranti dextra Africa est, seua Europa. Inter has Asia est, termini ānes Tanais & Nilus. Cū hęc explicata sunt, ostēdēdus circulus est equinoctialis, deinde vtrinq; pari interuallo distātes tropici, ab



pici, ab illis autem in vtrūq; polū inclinātes hinc arcticus, illinc antarcticus. Vt ex huiusmodi di-  
 mensiōe cōmonstrari possit, quē inter tropicos terrę pateant, quæ vetustis ob estū inhabitabiles  
 creditę sint, quæ sempiterno frigore gelidę ad polos decumbant, quomodo intermedię terrę tem-  
 peratę & habitabiles sint; id quod satis ex Zonarū descriptiōe, quę passim est vulgatissima, intelligen-  
 tur. Proinde nollē ita noscendę terrę studiosum, & ingenui animi hoīem operā impēdere, vt nō in-  
 terim rudimētis astronomię vacaret; multū em̄ illius cū hoc, vt dixi, cōmertū est. Curandū igit, vt  
 ex libello de Sphæra Iani de Sacrobosco cœli superficies, & generalīū circulorū ratio, si non pari stu-  
 dio saltē subcisiuis horis, attēta diligentia cognoscat; ex horū etenim coitu spātorū terrę cœliq;  
 absoluta noticia provenit. Cū illa studiōsis eo quo mihi visum est modo (quanq̄ neminē nostra sentē-  
 tia coactū velim) pposita sunt; tū primū locus est, vt in intimā & penitissima quęq; regionū, vt sibi  
 cohērēt, ingrediamur, quod fit, cū scriptorē interpretandū suscipimus, & pro virili singula p singu-  
 los tractus annotata loca in pictura, vel vera omnino, vel verisimili, vt sita sunt, indicamus. Moni-  
 tū vero velim studiosū adolescentē, ne, si locū a scriptore notatū ipse in pictura nō consequitur, an-  
 gi se, vt scrupulo sinat; quis enim omnia a vetustis recētibusq; posita loca vnā in tabellā congerat?  
 Satis igitur superq; satis est, si, dū regionis sitū nouit, ad vnū illustrē locum, quē aut Ptolemæi, aut  
 aliorum tabulis deprehendit, reliqua quę inserta in pictura non sunt, prouida coniectura ad eius  
 loci comparationem, vbi sita sint, animo statuit. Hoc enim modo, vt mihi videtur, intra certę co-  
 gitationis limites animus sistet; & in labore, quem Plinius infinitum nominat, magno sibi ad omni-  
 um locorum certitudinem remedio consulēt.

QVO TEMPORE MELAM FLORVISSE VERISIMILE SIT,  
 ET QVAE EIVS PATRIA.



Componiū Melā Hispanū fuisse ex Mellaria Bethicę oppido, e libro eius secundo no-  
 tum est, vbi hæc verba sunt: In eoq; Carteia, vt quidā putant, aliquando Tartessos,  
 & quā transuecti ex Africa Phœnices habitant, atq; vnde nos sumus, cingēte freto,  
 Mellaria. Melam autē cognominatū vel a familia, vel quacunq; ratione alia, magis q̄  
 a patria crediderim: quanquā sint qui contrariū sentientes, Mellā propterea l. litera  
 geminata scribant & pronuncient; qui præter hoc, quod doctissimorū vsu, & vetustorū exēplarium fia-  
 de redarguūtur, rationē Grammaticam haud satis custodiunt. Nā a patria Mellarius potius dicens  
 dus erat, vt huiusmodi dictiōis origo postulat. Porro eruditorū authoritas eos, vt cū alijs sentirēt,  
 multo magis admonere debuit. Quanquā me non præterit Annæi Mellę ex Hispania oriundī in  
 xv. augustalis historiæ Corn. Taciti mentionē factā, qui locus credo illos animauit, vt l. literam in  
 Melæ nomine geminam fecerint. Miror tñ putare eos posse, eundem ab Hermolao non visum, qui  
 nusquā Mellā, sed vbiq; Melā agnoscit. Sed de hoc cōtendere aliorū est. Multi qui a vero non ab-  
 esse vidētur, Dictatoris cum Cæsaris tēporibus floruisse, & illud de situ orbis opus ædidisse, conie-  
 ctura colligunt nō obscura ex verbis suis, quę lib. iij. in Britannię descriptione fere sic legūtur: Bri-  
 tannia qualis sit, qualesq; pgeneret, mox certiora, & magis explorata dicētur, quippe tandiū clau-  
 sã aperit ecce principū maximus, nec indomitarū modo añ se, verū ignotarū quoq; gentiū victor,  
 qui ppriarū rerum fidē, vt bello affectauit, ita triūpho declaraturus portat, &c. Ab his tñ ego parī-  
 ter vt ab illis dissentio, quod me non iactationis cuiuspiã, sed veritatis studio facere studiosi sibi velim  
 psuadeant. Suetonius in Cæsare author est, ante Dictatorē Britannā pop. Rom. ignotā, aut igno-  
 tos (vt suis verbis vtar) Britannos fuisse; id quod & ipse Cæsar de se Cōmentario quarto belli Gal-  
 lici scriptū reliquit, in hæc verba: Cæsar magno sibi vsui fore arbitratus, si Britannā adisset, & ge-  
 nus hoīm perspexisset, loca, portus, aditus, cognouisset, quæ fere Gallis erant incognita; neq; enī  
 temere præter orā maritimam, atq; eas regiones, quæ sunt contra Gallias, nota sunt, &c. Quod si  
 Gallis ignota Britannia, quanto magis tñ Romanis fuit? vt Suetonius voluit. Quid ergo ante Cę-  
 saris aduentū ex Gallijs certū Pomponius habuit, quod literis demandasset? Verum si ad Cæsare  
 referas, scripsisse hæc Pōponiū ante Cæsaris reditū sua verba indicant. Porro quorsum illa pertia-  
 nent, quod Mela ait, Mox certiora & magis explorata dicentur? Nimirū ad alius principis ante  
 se tēpora respiciens, magis cōperta, q̄ ante fuerant, per principē suum allatum iri sibi persuasit. Nā  
 & Cornelius Tacitus in Agricole vita Cæsare Dict. qui hostē teruit, & littoribus potitus est, vide-  
 ri eā ostendisse magis posteris, q̄ tradidisse ait. Ad cuius sententiā & illa Melæ verba accedūt. Cæ-  
 terū, vt adhuc habuimus, inter septentrionē & occidentē profecta, &c. vt adhuc habuimus, id est  
 vt e rerū a Dictatore gestarū historia deprehensum est; ita enim intelligo. Verū ne hoc nos moreē,  
 illud apud me pluris æstimatur, q̄ libro primo Solos Cilicię oppidū, Pōpeiopolim dictū ait, post-  
 quā Pompeius id ipsum Pyratibus a mari pulsus, habitandū tradidit. Quo in loco, longe antea q̄ hæc  
 scriberet, hoc factū esse satis testatus est; quod recenter locis imposita noīa tardius in tñ vsu abeūt,  
 q̄ insinuari cæteris, quæ nota sunt, vsuq; protrita, facile possint. Quid, quod libro tertio in litto-  
 ris Hispanici ad Septentrionem vergentis descriptione, iuxta Astures tres aras, quæ Sestianę  
 vocentur, in peninsula sedere, & Augusti nomine sacras esse, scriptum reliquit? Nemo ergo du-  
 bitet post Augusti tempora Melam scripsisse. Nam de Sestianis aris Augusto in hoc littore sacris  
 Plinius quoque capite vigesimo quarti libri meminit. Addo quod Cornelij Nepotis libro tertio,  
 vbi de Scythico littore, & vbi de Africę interioris locis mentionem facit, tanquam recentis scri-  
 ptoris meminit. Sunt eius libro tertio verba hæc: Cornelius Nepos, vt recentior authoritate,  
 sic certior,



sic certior. &c. Nepotē autem Ciceronis familiarē, in Augusti tēpora iusta vitę parte incidisse, ea quę ipse de Pōponij Attici vita scripsit, indicāt. Quid igitur Melā assero, non Dictatoris, nō Augusti, nō Tyberij, nō Caligulę, sed Claudij Imperatoris tēporibus, hoc quicquid est opis edidisse; idq; quod Dictatori tribuunt alij, id ego in Britānię descriptiōe Claudio tribuo, Suetonij, Taciti, & Eusebij haudquaquā aspernabili authoritate motus. Suetonij in Claudio verba hęc sunt: Britāniam potiūsimū elegit, neq; tentatā vlli post diuū Iuliū, & infra: Quare a Massilia Gessoriacū vsq; pedestri itinere confecto, inde transmisit, ac sine vllō praelio, aut sanguine, intra paucissimos dies parte insule in deditiōne recepta, sexto q̄ p̄fectus erat mense Romā redijt, triūphauitq; maxio apparatu. Ad Suetonij sententiā, hęc Melę verba accedūt: Quippe tādū clausam aperit ecce principū maximus: nec indomitarū modo ante se, verū ignotarū quoq; gentiū victor, propriarū rerum fidē vt bello affectauit, ita triūpho declaraturus portat. &c. Quod maximū principē Claudium dixit, nihil mirū: nec statim id ad Cæs. Dictatorē retorseris, nā nemo nō principem suum maximū nominat. Quod indomitarū ante se gentiū victorē ait, ex rebus gestis fidē habet: nam Orchades insulas, quę post Britanniā sunt, Romano impio Claudij adiecisse, in Chronicis Eusebius testatur. Tū illud quod ait, triūpho declaraturus portat, Cæs. Dictatori nō conuenit: quinque quidē triūphauit Cæsar, at de Britannia, vt Suetonius testis est, minime. Cur enim triūpharet, qui nō vicit? Ostendit vero magis posteris Britanniā, q̄ tradidit. Adde his Strab. lib. iiii. hęc verba: Diuū Cæsare bis in Britanniā transisse constat: vnde re nulla quidē magnifice gesta, euestigio reuenit, nec lōgius introgressus insulā: cū inter Barbaros in Gallia, militesq; suos ortę seditiones essent. &c. At Claudij de Britannis triūphasse, p̄ter Suet. Eusebius scribit, vbi Britānia maxie nota esse cōcepit. Et lib. xv. Tacitus finē belli a Claudio in Britānis cōcepti describēs: Vnde, inquit, fama eius insule euecta, & p̄ximas prouincias puagata, per Italiā quoq; celebrabatur: auebantq; visere quis ille p̄ tot annos opes nostras spreuisset. &c. Caractū autē intelligit victū, & in Claudij triūpho, quē iam dicto loco describit Tacitus, Romę ductū. Ideoq; illi Principi, authore etiā Seneca, templū propter apertam rursus insulam prope Camulodunū erectum est. Inde illud Melę est: Mox certiora magis & explorata dicentur. Indubiū vero est Plinio priorē fuisse Melam, cū eū non citarit modo, sed & plerunq; verba eius in sua trāstulerit. Scribit Tacitus (ne quid dignū scitu p̄terea) Britannię situm inter veteres Liiū, qui facta Cæs. Dictatoris secutus est: recētiore autem (ad sua referas tempora) Fabiū Rusticū, eloquentissimos authores, descripsisse. Melam ego medium statuo, siue malumus, primū: ex quo & Liius & Rusticus, in illa sua ingeniij foetura cladem passi sunt. Verum cursim hęc, & eo animo, vt si quis euidentiora adduxerit, libens suis sim cessurus.

QVEM ORDINEM IN SINGVLIS LIBRIS MELASERVAVERIT.



**P**ostquam pelagus nauibus ingressum est audax hominū genus, maritima loca, frequentiora, et ex culta magis facta sunt, nisi vbi aut frigus, aut calor infestat, his enim multa loca deserta sūt. Ceterū maximas & potētissimas vrbes, penes quas magna rerū imperia & hodie sunt, & olim fuerūt, maritimas esse, aut a mari parum abesse videmus. Eam ob rē Pomponio cū in animo esset loca stringere magis insignia (multa enī alijs memorata p̄terijt) a maritimis ordiri, & vt littora p̄currūt, ita sequi ea calamo libuit: Orā mediterranei duobus lib. vtpote frequentiorē, & notā magis, locisq; memoratu minime indignis, p̄secutus: Tertij lib. toti illi, quod terrā ab extra terminat, littori tribuit: Mira breuitate, & pleno ingeniij ordine per omnia vsus. In primo lib. post terrę partitionē, & partium summaria descriptionē, a Mauritania orditur, vltima maritimę Africę in occasum, & fretū Gaditanū regione: Inde in ortū Asiā versus egressus, Numidiā, Africā minorē, tractū Cyrenaicum, Aegyptū, Palæstinam, Phoeniciam, Ciliciā, Pamphylia, Lyciā, Cariā, Ioniā, Aeoliam, Phrygiā, Bithyniam, Paphlagoniā, Cappadociam, illaq; littora, quę a Trapezunte iuxta Colchidē in Cimmerium Bosphorum excurrūt, tū oram mæoticā, & Tanais decursum ad Ryphæos vsq; montes, vbi Asia finit, prosequitur. Secundo libro, inde digressus ripam Tanais, & orā mæoticā Europę, perq; illas, Scythas Europeos describit: inde a Taurica Cherroneso Euxini littus ad Bizantiū vsq; prosequitur: hinc Thraciam, Macedoniam, Thessaliā, Helladē, Peloponnesum, Acarnaniā, Aetoliā, Epirum reliquam: tū a faucibus Adriatici iterū Macedonię, hinc Dalmatię, & Illyridis orā, vsq; Tergestū, hinc Italię gemina littora, post Narbonensem inde Hispanię littus ad fretū vsq; vnde cōperat, describit. Inde ad Tanais ostia reuersus, memoratas in vniuerso mediterraneo insulas, vt sitę sunt, enumerat. Tertio libro, nostrum mare egressus, orā Hispanię occiduā, hinc Septentrionalē, vt Oceano abluitor, ita sequitur: hinc Galliarum ad Oceanum, Germanię, Sarmatięq; tractum in Scythica vsq; littora, & Caspij terras ingredientis fauces describens, gentibus aliquot enumeratis, per Eoa littora Indiæ ad Gangis ostia vertitur. Eiusq; percōso maritimo tractu per Carmaniā, Persas, Arabas, vt orā habitant in interiora Africę loca contendit. Vbi prope omnibus, vt nota esse poterāt, descriptis, in occidentālē Libyę oram versus Aethiopas Hesperios, sicut siti sunt in littoris decursu, enumerat: mox in Mauritanię finem & promontorium Ampelusiā, vnde primo cōperat, terminans; insularum celebrium Oceani, vt toto ambitu sitę sunt, descriptione adiecta.

F I N I S,

IOACHIMI